

CARINTHIAE DVCATVS.


Carinthia à Carnis populis nomen suum obtinuisse videtur, qui vetusti eius loci incolæ sunt, vtpote quorum & Plinius & reliqui in hoc loco meminerunt Geographi. Vtrum verò à Carnunto veteri oppido, cuius crebra apud Authores mentio est, nomē hi suum traxerint, an verò ipsi à se suam vrbem denominarint, dubium facit rei vetustas. Est is locus in ripēsi Pannonia, septem ferè à Vienna milliaribus distans, vbi nō obscura celeberrimā olim vrbis indicia, monumenta ac rudera etiamnum extant, ei nunc Diuæ Petronellæ nomen est. Dicuntur verò & Carnioli, Germanicè *Kerten*, *Krain*, *Karst*. De his verò modo scribit Volaterranus: Supra Istros Carni sunt, lata regio à Forouiliensibus incipiēs, atque ad montana pertinens. Germani etiā Carinthiam vocant, quasi Carnithiam, corrupto vocabulo, quanquam nonnulli alteram faciunt, eadem tamen est gens. Dalmatica quidem & ducibus Austriae subiecta. In hac Iulium Carnicū Ptolomæo, Plinioque, quod ex loci situ Golitiam quidam esse contendunt. Est etiam in hac Labatum oppidum ex nomine fluuij vicini, quē Plinius Neuportum appellat, vnde descendit Argo nauis ad Istros. Dalmatæ, Lublanam hoc oppidum vocant, ex Lugea vicina palude. Hanc regionem imprimis bonam fertilemque esse Ludoticus Imperator monstrauit, qui ei Arnulphum primogenitum filium ducem constituit. Modrusa quoque nouo nomine ciuitas in hac parte inter montes sita est. Magistratum habent Carniti Archiducem, Australibus hodie subiectum. Morem præterea hunc Barbarum, vt non solum in furto deprehensum, sed furti suspectum exemplò suspendant, post triduum de suspitione iudicant. Si iure mortuum animaduerterunt, pendere eum sinunt: si minus, contumulant, ei que iusta faciunt. Haec tenus ille. Diccbatur autem olim hæc regio Noricum, & inter Illyrici protiencias etiam Noricum duplex annumerabatur. Norici verò initii est ab Oeno fluuio, qui Rhetiam secundam à Norico disternat. Huius pars quæ Danubio imminet, & veterem proficit Germaniam, Noricum ripense dicitur, pars verò quæ Drauo fluuio propinquæ est, Noricum mediterraneum appellatur, cuius etiamnum pars quæ Liserio fluuio perluit Noricū vocatur, Germanicè *Im Noring* dicunt. Nomen verò id à Noraco oppido descendisse verisimile est: eius Stephanus meminit in Pannonia, citas Epaphroditum, qui in Cōmentarijs in Homerum dicat in Pannonia prouenire ferrum, quod si quis perpoliat, splendidissimum reddatur. Vnde Poëta dixerit *νέρωνα χαλκόν*, Noricum ferrum seu æs, quasi *τάραχιον*, pro ære valde splendēte. Carnunthensem Chalybem procul dubio intelligit, cuius inclyta fama hodie durat, & vsus apud Germanos creberrimus existit. Nam Carnuntum Norici locus est. Commendat etiam Noricos enses Horatius Flaccus lib. i. Carmi. Oda 16. Quas neque Noricus deterret ensis. Laudata enim ferri venam, in Noricis extitisse scribit Plinius Secundus capite 14. lib. 34. histor. mundi. Nec inior gloria est hodie Norico ferro, Passauwer klingen & Styrijs cultris. Hos verò & Tauricos Straboni dictos nonnulli contendunt, quos tamē Styrios potius esse crediderim, partim ipsius Strabonis verbis motus, qui eos penes Aquileiam locat, partim quod Taurus mons in eorum regione situs, videatur nomini rationem dedisse, & quod *Ster* etiam Germanis Taurum sonat. Est autem sita Carinthiæ regio in Iulianum Alpium tractu vtrinque inter Salzæ & Lauandæ fluuiorum fontes, quorum hic regioni ad ortum à Septentrione fluit, Drauoque miscetur, ille ad Occasum regioni situs versus Septentrionem ruit. Meridianum autem latus Drausus flu. subtendit, sub quo Carnia duplex vulgo *Krain*, Carniola regio, Goriciæ principatus seu palatinatus posita sunt, de quibus priuata exhibetur charta.

Diuiditur autem Carinthia in superiorē quæ Lysero fluuio rigatur, & inferiorem quæ Lauanda fluuio alluitur, Germanicè *ober end onder kernten*. Complectitur præterea comitatum Ortenburgensem ad dexteram Draui fluuij ripam, item Soluendensem Coloniam antiquibus refertam, inter Glaueckci & Olzæ fluuiorum fluuenta, vrbes ac oppida habet præcipua Villacum in planicie ad Draui quoque ripam dextram, ornata ac perpolitam vrbem. Clagenfertum olim Claudiani. Hæc illa est, in qua ferunt eum quē supra ex Volaterrano adscriptissimus morem seruari furibus durissimum. Sanctus Vitus, ea regionis Metropolis est ad Glauam flu. sita, Haynpurgum ad Draui flu. sinistram ripam, emporio ac mercatu fœlix est. wolfspergum Lauandæ flu. adiacet. Regio ipsa montana, multæ in ea valles collesque feraces tritici. Solinus cap. 30. ait agrum Noricum frigidū, & parcus fructuosum, qua verò subducitur à iugis Alpium admodum lætum. Multi lacus, multi amnes, quorū præcipuus Drausus, qui per Styriam ac Pannoniam in Danubium fertur, haud inferior Sauo, Glana, Schleinicza, Lauanda, quos omnes Drausus sorbet. Mura quoque eidem Drauo miscetur. Lacus sunt Mulstetter-see, Ossiach-see, Werd-see, Lauandt-see, Iudenburger-see, Veys-see. Plerique autem prædictorum fluuiorum huic regioni fontes suos debet, ac in eadem etiam ostia sua habent. Valles omnes ab perluentibus amnibus nomina sua sortiuntur. Montibus vndeque attumulatur. Excelsa enim Alpium capita (vt Strabonis vtar verbis) continua haec tenus extenduntur, & vnius montis faciem exhibit, remissa inde & inclinata, plures in partes, & plures in vertices attolluntur. Tauri portiones iugaque crediderim, vnde ab incolis suis nominibus distincta. ab Occidente Gastein, Tauri, Vilachtaurn, Raftattertaurn, Karntaurn vocantur. Nonnulli verò vertices, Alpium nomina custodiunt, vt sunt Modringalbin, Serbizalbn, Sauabn, Stubnalbn, Piberalbn, Scwanbergeralbn, & Drauo flu. Dietzpergus imminet: & super hunc mons argentatus est accolarum lingua Silberberg. Raspergus mons Muræ ac Isaræ fontes habet, altero in Meridiem, altero in Ortum fluente. Inter hos verò Tauri Alpiumque editissimos colles, sylue luciisque sparguntur. Hercyniæ sylue tractus portiones, vti sunt Hirschpnhel, Prielwaldt, Adelwaldt. Eremus vulgo *inder Aneo*, sylue Minæris prædicti Alpes turgent iuxta Virdunum, quod Vriesacum nunc dicit. Carnorum ferrariæ sunt, nec procul ab eo loco Silbergus ac Goltbergus à sui nominis metallis nomina sortiti sunt. Kaspergus quoque mons ob mineras perfoditur. Nec thermis hic locus destituitur, natura subinde ex metalli feris montibus salubres aquas protendente, vnde iuxta Gastlimum in superiori Carinthia, ameno loco, saluberrimæ extant thermæ. Habet autē Carinthia ab Ortum Styriam, vicinam, à Meridie Carniolam & Carnias, ab Occasu Saltzburgensem diœcesim, à Septentrione Anassonam regionem contiguam habet. Incipit ab Occidente in longitudine grad. 31. minut. 50. vbi est Veltspital oppidum, ac desunt in Oriente in longitud. graduum 33. minut. 27. vbi Lauamunda est ad Lauandæ fluuij ostia. A Meridie initium sumit sub gradu latitudinis 46. vbi Pleiburgum Carniolæ oppidum, ac in Septentrionem extendit ad latit. grad. 46. minut. 47. vbi Indenburgum vrbs, Mura flu. adiacet. Subiacet itaque post initium septimi climatis, quod est per medium pontum Euxinum, sub Parallello 16. vbi dies artificialis prolixior horarum 15 $\frac{1}{2}$. longitude ergo habet ab Occasu in Ortum milliar. German. 25. seu Italicorum 100. latitudinem autem ab Austro in Boream milliar. German. 11 $\frac{3}{4}$. seu Italicorum 47.

TIROLENSIS ET CARNIOLAE COMITATVS.

Tirolensem ditionē à Tiroli munitissima arce ad Athesim fluuium, iuxta Merouam vrbem sita, nomen suum accepisse nulli dubium est: arx verò ipsa vnde & à quo sit sic denominata, non reperi: nisi quod in libro de præfecturis Romanorum Teriolensium mentio fit. Hæc verò loca olim Rhetia secunda dicebantur. Vti Tschudus & reliqui classici authores testantur. Rhetica autem gens à Rheto Thuscorum duce vti Trogus scribit, vel à Rheto Lydorum rege, vt Cato, condita est. Antiquitus tota gens in duas curias, hoc est, in primam & secundam Rhetiam diuisa fuit. prima curia vallem Clauennam, secunda Volturenam, seu vallem Telinam, quam hodie Veltlin vocant, habebat: ea est de qua hic sermo nobis fiet. Complectitur autem bonam partem eius regionis, quam Athesinam Germani vocant, vulgo *Etschlandt*, Latinè Rhetia Athesina dici posset, vocatur & Alpestris Rhetia. Multi verò olim populi hunc tractum habitarunt, quorum partim adhuc extant vestigia nominum, partim obsoleuerunt. Euganei siti in eo loco quo hodie Engadinus dicitur, corrupta voce: est enim Italica dictio pro eo quod est en co de in, vti Tschudus refert, id est, in capite AEni. Vennones, hodie dicuntur Vinstgow, seu vallis venusta. Brixentes etiam suum reliquerunt locum. Iuxta Brixiam habitarū Cenomani, inter Apennium & Padum Ananes, Boi, Egones, postremò omnium Senones Galli iuxta mare Adriaticum habitarunt, vti Polybius testatur. Hodie etiamnum in multas dinastias & valles, tractusq; priuatos scinditur, quos breuiter ex Munstero recensebo. Prima itaq; est Athesina regio, incipiens à Meroua ac Tridentū vsque extēditur, habēs in longitudine decē milliaria, in latitudine vnum. Inthal vallis incipit in Finstermuntz, & extēditur iuxta Rotēburg ad 18. milliar. in lat. verò habet vnū milliare. Finstermuntz longitud. habet vnius milliarij, latitudo verò cōplete transītū currus, pertingitque ad Engadinum, Inthal, & Etschlandt, & ad montes. Est rūdis & aspera terra, in qua nihil crescit, summeq; latronibus infestatur. Engadinum extenditur secundum longum, ad septem milliaria, & secundum latum, ad dimidium milliare, plus minūsue, agnoscitque Episcopum Curiensem dominum. Non crescit in ea vīlum frumentū, nisi æstiuum hordeum, & fœnum, habētque cultores multa pecora, bonas villas, bellicosam gentem. Vt tunturque magis Longobardica, quam Germanica lingua. Extenditur ad eam Veltlin seu vallis Telina, & montana Inthal, Athesis & Lechtal, Vinstgow & Munsterthal, atque Stantzerthal. Item Kundersweg excurrit à Potzen vsque ad Brixā sex milliaribus, latitudo autem eius modica est. A Merona vsque ad Sterzingen, ad tria milliaria extenditur Passerthal: in latitudine verò angusta est, habetque hordeum, fœnum, nuces, vinum, & poma. Est & alia vallis quæ vocatur Stantzerthal, quæ in longitudinē patet ad duo milliaria, crescitque in ea siligo, hordeum & auena, poma & similia. Vallis Munsterthal habet in longitudine duo aut tria milliaria, attingitque Athesinam regionem, Ducatum Mediolanensem. Engadina, in latitudine est angusta. Porro Vinstgow incipit à Gluro, & terminatur ad Merouam, habens in longitudine sex milliaria, abundatque omnibus bonis, vino optimo, piscibus, venationibus, pomis. Et Malserhaid incipit à Malz, & extenditur in longum quatuor milliaribus vsque ad Finstermuntz, in latitudine habet duntaxat dimidium milliare. Superior Engadina habet tria milliaria, cuius extremitates sunt Punthal & Syls, vbi Enus ē lacu originē dicit. Alia verò Engadina à Sarnetz vsque Nuders, patet longitudine quatuor milliariorū, ac in latum est angusta. Omittuntur hīc multæ aliæ valles, vti sunt Pastklaf, Schams regio rupibus clausa, Schopina, in qua Furstenaid, Grauenstein, Klefen, Pargel, Suntag. Item mons Neanis, vulgo *Nansberg* distans tribus milliaribus à Tridento, in quo inueniuntur 350. Parochiales Ecclesiæ, & 32. Castra. Crescunt in hoc monte omnia quibus vtitur humana vita, præter sal & aromata. Agnoscūt habitatores partim principes Austræ dominos, partim Episcopum Tridentinū. Extenditur hic mons in longum vndecim milliaribus, & tribus in latitudine. Producit vinum, frumentum, habet & flumina, pisces, aues, ibices, capricornos, mures montanos, abundant armento, caseo, buty-

ro. Prata & agri, & sylæ montanæ proferunt poma, nuces, aurum, argentum, plumbum, stannum & ferrum. Eni pons, vulgò *Inspruck*, vrbis regionis Metropolis est, ad Eni flu. dextram ripam. Vbi camera & parlamentum est comitatus Tirolensis, & superiorum regionum Austriacarum. Tirolense verò castrum regium ad Athesim flu. situm est, & sub eo Merana oppidum. Matran oppidum est Episcopi Brixiensis. Stalla villa est vbi merces deponuntur, & rursus imponuntur. Malz oppidum est, in cuius agro oritur Athesis flu. Glurus oppidum. Hali ciuitas ad Eni sinistram ripam. Mulbach non procul ab Inspruck, vbi fiunt optima armamenta, & ferrea indumenta, seu cataphracta. In monte Pyreneo vulgò *Brenner*, multæ constructæ sunt villa, & oppidum Goso, vbi bonum inuenitur metallum. Sterzingen oppidum Vlza flu. adiacet, vbi diues vena est metalli, & boni ceduntur cultri, enses & laminæ. Tridentum ciuitas & castrum, pro media parte ducum Austria, & pro alia parte Episcopi Tridentini. Est & Schwartz villa in Tirolensi comitatu exorta, ante paucos annos, propè quam in Falckenstein, & Erbstollen incredibilis thesaurus argenti & æris sine cessatione die noctuque per multa millia hominum metallicæ rei operam dantum eruitur, tunditur & conflatur. Effodiuntur quoque ibi cum metallis nobiles quidam lapides potissimum Magnes & Malachites. Et docti affirmant Malachiten tam efficacem in sua operatione esse, vt non cedat lapidi Cyanæ, quem vulgò *Turcoys* appellant. Aér loci non vbiique salubris. Regio ipsa vndiq; montuosa, & vallibus tortuosissimis implicata, partim sterilis, partim fertilis, vti ex prædictis intelligere est. Fluminibus rigatur duobus præcipue. Enus oritur apud Engadinos summo loco, & ex opposito latere in descensu vicini montis emergit Athesis, labiturque in diuersas plagas: nam Enus petit Septentrionem, fluensque per Finstermuntz & Inthal, tandem exoneratur in Danubium, Athesis verò per Vinstgouiam & Etselland ruens, alluit mœnia Veronæ, & tandem desinit in mare Adriaticum. Reliqui riuali potius, quam iusti fluuij dicendi sunt. Vti Ciler, Brixia, Vlza, qui Eno miscentur. Rinza, Talzo, Anagnia, Flems, qui Athesi iunguntur. Isaræ autem fons est in campo Selfeld versus Septentrionem ab oppido Inspruck. Montium hīc numerus non est, qui omnes vno vocabulo Rhetica iuga seu Reticæ Alpes vocantur, quamvis proprijs deinceps nominibus distinguantur, vti Brautius mons iuxta Bormium, vulgò *Vormser-ioch*. Peruina mons in Engadinis, Pes-falarius, vulgò *Busfaler*. Mons Pyrenæus, nūc vulgo *der Bréner*, & alij innumerij lauffen, Schneperg, &c. Est & prope Muranum mons, in cuius vertice antrum est in medio montis, quem Veneris montem dixerunt ex notissima omnibus fabula. Verum is mons ita nunc præcisus & abruptus est, vt nulli ad hoc antrum pateat aditus. Syluarum quoque hīc magnus numerus est: vti Grinwaldt, Hofgarten, Inder Aich, Milrinald, Forst, *Unser frauwen holtz*, &c. Minærarum in his montibus innumeræ fodinæ: eruuntur enim iuxta Tridentum, & in comitatu Dauers vulgò *in der Stillippen*, & propè Schwatz, vulgò *in Taxn*, iuxta Sterzingum in monte Schneperg, & supra Halam ad Droetz pergium montem. Hala quoq; vrbis salem coquit, & cruciferos cudit monetæ genus. Thermae sunt supra Brixonam in Pyrenæo monte. Terminatur autem ab Occasu Heluetijs & Curiensibus, à Septentrione Bauaria, & Saltzburgensi Episcopatu, ab Ortu Marca Treuisana, à Meridie Longobardia & Grisonibus. Incipit autem ab Occasu sub longit. grad. 30. minut. 30. vbi Curia Rhetæ est, ac desinit in Oriente sub longit. grad. 33. minut. 45. vbi Brunecum. A meridie initium sumit sub latitud. grad. 44. minut. 56. vbi Burgum oppidum, & extenditur in Septentrionē ad latitud. grad. 47. minut. 41. vbi Appianum est, vulgò *Happingen*. Est itaque à medio sexti climatis, quod est per Hellespontum vsque ad medium septimi, quod est per fontes Istri. vnde Parallelus eius Australis 14. aut paulò plus. Vbi dies artificialis horarū 15 $\frac{1}{2}$. Septentrionalis autem est 16. vbi dies prolixior horarum 15 $\frac{3}{4}$. Longa ergo est regio ab Occasu in Ortum milliaribus Germanicis 37. seu Italicis 114. in latum vero. i. à Meridie in Septentrionē milliaria habet Germanica 51. seu Italica 204.



CARNIOLAE DVCATVS.

CArniolæ ducatus à Carnis populis, quemadmodum & Carinthia nomen obtinuit. Dicit enim Volaterranus Geographiæ lib. 2. supra Istros Carni sunt, lata regio, à foro Iuliensibus incipiens, atque ad montana pertinens. Germani eam Carinthiam vocant, quasi Carnithiam corrupto vocabulo, quanquam nonnulli alteram faciunt, eadem tamē gens est, &c. De nominis itaque ratione vide Carinthiæ descriptionem. Hoc loco Iapides Liburnosque olim habitasse tradunt. In his verò regionibus Illyricis tanta etiamnum est terminorum confusio pro varia Reipubl. seu Imperij Romani status vicissitudine. Vt p̄ provinciarum quæ hodie ibidem numerantur, vix ægreque, aut penitus ferè nulli certi limites tradi queant, incertius itaque tot retro aëtorum seculorum constitutionem tradere. De hac tamen Carniola hæc sunt quæ tradit AEnæas Sylvius. Carni inter quos lapides enumeratur Istros sequuntur, Sclavi tamen quorū fermè regionem obtinet Carnos bifariam diuidunt, duplē Carniolam esse dicentes, alteram siccā & aquarū indigam, in qua Istros ponunt & Tarsos, qui medios inter Labatum & Tergestum incolūt montes, & ad Timauum vsque proferuntur. Alteram irriguā, in qua flumen Sauus ortum habet, & Nauportus qui Labatus hodie appellatur, & alij plures flu. &c. De hoc verò Labato flu. quem Nauportum Plinius incolæ autem, Labatum seu Quietum vocat, hoc memoratu dignum visum est, quod tradunt de Argonautis, eos ex Ponto in Istrū aduerso flu. nauigasse, & ex Istro in Sauum itidem aduerso flumine, deinde Nauportum quem Quietum hodie & Labatum appellant. Ex Naupporto verò per montes humeris vectam nauim, qua Yellus aureum ex Cholchide raptum, & Iason Medeaque cum patrijs thesauris fugientes vehebantur, nō procul Tergesto Adriae immissum esse. Quāquam alij per specum subterraneum eo deductam dicant monte perfoſſo. Vrbs regionis præcipua est Labacum, eiusdē cum fluvio nominis. Contra Duinum in montibus qui Adriam spectat subter Alpes, haud procul à Natisone flumine Garitia sita est, Iulium Carnicum Ptolomæo dicta, pariterque Plinio, qui Iulienses Carnorū in decima regione memorat. Vt Volaterranus arbitratur, quosdam ex situ loci coniçere Iuliensium Carnorum hoc fuisse oppidum scribens, alij Noritiam appellant, Georgius Amasæus Goritiam eo in loco esse scribit, vbi quondam Noricia, inonumentisque vetustatis quæ hīc supersunt id conuinci. Principatus seu Comitatus dignitate hodie hīc ciuitas gaudet. In lœua Sontij ripa sursum propugnacula reperiuntur bina, quondā à Venetis ad tutelā fluminis condita, ne Turcarū excursionibus hac vti prius, pateret via. Nomen vni Gradisca, alteri Foliana, à finitimis pagis. Amne trāfīto in ora maris, nobile frequensque & oppulentum oppidum præcelso ac diffīlici in monte cernitur, Mons Falconis, olim Verruca dictū. Ad lœuam Natisonis flu. ripam sinui maris Adriatici proximā Aquilegia. Vrbs olim præclara & fēlix ob negotiorum amplitudinem & frequentiam, quoniam ex cunctis propemodiū orbis partibus, ob summam loci opportunitatem & aditum tam mari, quam terra commodissimum, merces huc conuehētur: maximæque res Aquilaensium auctæ post Spinā & Adriam collapsas, ijs enim vrbibus sepultis ad hanc vnam negotiatores omnes confluebant. Desinit tamen id summum mercaturæ studium apud Aquilæ, vna cum ipsius ciuitatis fortuna, caput deinceps effertenibus Venetis. Regio ipsa Carniolæ montosa & Alpestris, quemadmodū & reliquæ huius tractus p̄uinciae: vini tamen, olei, fructuum, ac frumenti hinc inde abundē profert. Sauo fluvio, Laibachoque rigatur, qui Danubio inferūtur, Corcoras etiā fluuius vna cum Sauo illi affunditur. Sub Alpibus autē oritur Natiso, vti Sabellicus tradit: post iuga Ventoniū ad occasum Solis, æstiuū solsticij versus, & 80. ferè stadijs prolapsus, tum in occasum hybernum flectit ciuitatemq;

fori Iulij medianam intersecat: mox ad Orientem incedens, post 120. ferē stadia Sontio flumini illabitur. Is fontem in Alpibus habet iuxta Iapidiam, quæ nunc Carnium vel Carniola. Primum verò à Septentrione per confragosas valles præcipitesque rupes, in occasum Solis Hybernum, tanto cum impetu & violentia prouoluitur, vt ad 120. penē stadium vsque, nec pedibus, nec iumento transitum patiatur, dein crescens perpetuò, stadia ferè 40. per vallem Plitianam cōficit: post eodem amplius spacio per asperras fauces ad Caporetum defertur. Vbi pons eximus arcu vno ped. 60. transitum iungit. Hinc vallem Caporitanam 80. paulò minus stadiorum emititur multo leuior, adeò vt vbiique transmittere commodè liceat. Porro circa finem huius longissimæ conuallis apud Tulminum, amnem excipit Tulminam, eoque non procul alium ex angustis fauibus prorumpentem Hydrām insignem fluum. Deinceps 80. ferè stadijs per vallem Sonty, quam vocant Roncinam labitur ad pontē trium arcuum, iuxta quem annis superioribus turrim struxit Goritianus comes: hīc verò per angustas confragosasque valles, è regione Goritiæ, quas sublimis pons tribus pilis lapideis innixus iungit, lenisque dein 40. paulò amplius stadia defluit, vsque dum amnem Vipauum colligat ex Alpibus per finitimatam Goritiæ vallem accendentem, quo recepto nauigabilis efficitur vsque ad mare stadijs 140. Hæc Sabellicus. Verū notandum non procul Aquileia Natisoni illabi, nomenque tunc perferre, Natisonis, qui vna in mare desinit, extinto. Timauus flu. arci Belfortiæ propinquus, multis fontium scatebris è montibus erumpēs, deinde subterraneis meatibus millia passuum: ferè quatuor prolapsus occulte, rursum de Saxi radicibus intimis, emersu multipli ci largius pluvio celo, pressius sereno exoritur, & in vnum mox alueum collectus altum latum quæ flumen, ac nauigabile constituit, nec magno dein spacio mari infusus portum Timaui, quem Strabo nominat Creat, haud procul eo loco vbi quondam arx Belfortia sita erat. Montium hīc præcipui sunt in cōfinijs Carinthiæ, Occa mons, inter Natisonem & Lisonium, Medæz montes, & Alpes Carnorum, quæ è regione Tergestini sinus sublimitas montiū Straboni dicuntur. Ad Timauum amnem luci duo sunt, quorum vnu olim Iunoni Argiū sacer erat, alter Diana Etoleæ, vt scribit Strabo, nūc alterum Diuæ Margaretæ syluam, Diuæ Gertrudis alterū vocat. Fabula verò Lupi & fideiussoris eius, qui volet ex Strabone petet. Minærarum hīc fodinæ nullæ nobiles præterquam argenti viui, ad Hydrām fluum, quod Strabo de Aquiliensi agro refert, auri optimi feracem esse, à nullis nostri temporis authoribus proditum est, vel quod dudum ex fodinæ exhaustæ sint, vel (quod vix credibile) nunc incuriosius inuestigentur. Contra Timauum amnem Insula parua in mari est, cum fontibus calidis, qui pariter cum æstu maris crescunt, minuanturque, vt Strabo ait. Quamuis autem olim scaturigines harū aquarū in Insula diuisæ essent à continente, nunc tamē videre est, quod terre hæreant alluione annexæ. Terminantur autem iam dictæ regiones ab Occasu quidem Foro Iulio, à Septentrione Carinthia & Styria, ab Ortu Sauia, Pannonia, Dalmatia, Crotiaque, à Meridie Histria. Incipit ab Occidente sub longitud. grad. 35. minut. 10. vbi Aquileia: desinitque in Oriente sub longit. grad. 39. vbi Sagor oppidum, à Meridie incipit sub latit. grad. 45. minut. 45. vbi Tergeste, & extenditur in Septentrione sub latitud. grad. 46. minut. 30. vbi Labati flu. ostiū. Subest itaque ad initium 7. climatis, per pontum Euxinum, vsque ad medium eiusdem. Vnde Parallelus per eam transiens est 15. diesque prolixior horarum 15¹. longa est autem ab Occasu in Ortum milliaribus German. 30. seu Italicas 120. lata à Meridie in Septentrionem milliaribus Germanicas. 19. vel Italicas 76.

FRANCONIAE ORIENTALIS ET SALTZBURGENSIS EPIS.

FRANCORUM orientalium nomen à Franco quodam eorum duce ortum creditur. Hunc populum è Scythia profectum tradunt, vbi locorum diu multisque annis ante natū redemptorem nostrum morabantur: tandem autem assiduis Gothorum incursionibus molestati offensiique, nouas sedes querere in animum induxerunt: quare Marcomiero rege ac duce circiter annum ante natum Saluatorem 433. loca Rheno Frisijs, Chanæisque proxima occuparunt: ibique confidentes in prouincia, quam nos Geldriam hodie nuncupamus, ei regioni à suo vocabulo Sicambriæ nomen fecere: tum enim nondum cuiquam Francorum nomen auditum erat. Hos Francos etiā Ansibarios & Anluarios fuisse, indubie ostēdit Rhenanus. Deinceps cùm ad 400. ferè annos ducibus suis paruissent, dominium seu imperium id tandem peruenit ad quendā Francum nomine: eum tanto prosequabantur amore, tantique ab ijs siebat, vt aucto veterique nomine relicto, ab eodem suo duce denominari voluerint, quod factum traditur circiter 24. annis ante natum Christum. Verum hæc à Rhenano doctissimo viro non ineptè explosa, cùm nempe Tacitus Germanos omnes indigenas esse asseueret, qui de origine huius gentis aliter differit. Inquit enim, Franci maritimus populus fuit: Oceani Septentrionalis littus colens, iuxta Chaucos, vt arbitror & Saxones. Potest autem fieri, vt aut ex Insula se effuderint in Continentem, aut olim sua fortuna contenti, & proinde ignobiliores, tandem bellis inclauerint: id quod & Cattis accidisse videmus, qui primū obscuri. (Neque enim horum meminit Ptolomæus) sub Domitiano & Traiano Chæruscis nobilissimæ genti præferebantur. In Vspetum & Teucerorum loca concesserunt Franci, postquam recesserunt à Sicambrorum finibus, ostijs Rheni, & Oceani littoribus, vbi primitus habitauerunt, deinceps relicta Colonia & Rheno amne, ad Salam & Mœnum flumina confederunt, vbi hodie manent. Salingi etiā dicti sunt Franci à Romanis. Salios fuisse appellatos Ammianus ostendit libro 17. Quod à Sala fluvio descendisse creditur: rei fidem facit Salingo-stadium Mœni vrbs, quam *Selingstæ* vocant Incolæ. Gens ipsa viribus armisque potens, ac multa nobilitate pollens, fallax & astuta, laborum patiens, vinetis colendis uterque sexus incumbit, nec cuiquam otioso esse conceditur. Ducatus nomine ac dignitate adhuc hodie gaudet, huncque titulum VVirtzburgensis præsul sibi vendicat. Verum huic non integra paret Francia, sed cum quatuor in partes diuisa sit, quatuor ex magistratibus sunt audiētes. Marchioni Brandenburgensi obediunt Kitzinga, Brustum. Graglingiacū & Babébergensi antisti subsunt. Chronachum, Vorchevum, Staphelsteinum, Hochstadium, & præter has multæ aliæ vrbes, VVirtzburgensi seu Herbipolitano præsuli, qui Francorum dux salutari vult, parent. Kunigspergum, Ochsenfordia, Corolostadiū, Hastordia, Gemunda, ac aliæ nōnullæ ciuitates, Maguntiacensi Metropolitano Archiēpiscopo & Electori Sep-

temuiro S. Imperij Cancellario, audiunt. Maguntiacum vrbs nobilis multiplici nomine, vniuersali studio seu Gymnasio Literario, inuentione artis Typographicæ, ac multis vetustatibus seu antiquitatibus, item Bischofsheimum, Alderburgum, Mildeburgum, & multæ alia oppida. Quædam insuper Franciæ portio ad Saxonum principem spectat, velut Choburgum oppidum excelsa arce munitum, ac nonnulla alia. In huius prouinciæ finibus sita est Norimberga vrbs ampla, opulenta, ac imperialis. Verùm Franciæ minimè annumeranda. Francofordia autem Francici iuris est, & ipsa imperialis, ac binis nundinis quotannis celeberrimum, nobilissimumque Germaniæ totius emporium. Quo loco Romanos reges eligi à ducibus electoribus mos est, ibidemq; si imperij binos competitores esse cōtingat, vtrique collecto exercitu pro Imperio dimicant. Aēr purus ac saluberrimus. Terra densissimis sylvis asperisque montibus clausa, intus plana ac fertilis Cerere & Baccho, in Germaniæ propemodū medullio sita. Ad Rotenburgum urbem in Tuberæ rīj a, haud procul ab eiusdem fluminis fontibus, initium sumunt vineta, flumenque sequuntur donec Mœno coniungatur. Vinum ipsum bonum ac salubre, si nullum adhibeat vitium, & ob sui præstantiam in remotissimas exportatur terras. Glyzeryæ radicis Babenbergensis ager tantam præbet copiam, vt currus eadem onusti per vniuersam Germaniam diuehantur. Rapa cæpæque nullibi ferè locorum laudatoria: hortorum, viridiorum, ac pratorum cultura amoenissima regio est: pecudum domesticorum, ferinarumque diues. Fluminibus piscofissimis vndique perluitur, quorū præcipua sunt: Mœnus, Sala, octo ignobilioribus amnibus comitata, Sinna, Radiania, æstus, Tuberæ, ac nonnulla alia. Sylvas habet Speshart, Othonis syluam, ac alias etiam Hercyniæ portiones, quæ eam æditissimis iugis per circuitum obfirmans, veluti nativo muro ambit. Hæc Sueiam & Baioariam à Meridie habet, Rhenus illi occiduus est, ab Ortu Boëmi accolunt, Hassi & Thuringi Saxoniam populi à Septentrione. Hæc itaque prouincia longitudinis initium sumens ab Occidente prope Helenopolim seu Francofordiam Mœni gradus habet longitud. 25. minut. 38. ac in Oriente desinat prope Ambergam, qui locus longitudinē habet 29. grad. 8. minut. latitudinis autem initium facit à Meridie circa Rotenburgum ad Tuberum amnem. vbi eadem est 49. grad. 7. minut. ac in Septentrionem eleuatur usque ultra 51. gradus latitudinis circa Lichtenavviā. Ita vt Australia eius sint post initiū 8. climatis, quod est per Borysthenis ostia. Septentrionalia autem sub principio 9. climatis, per Coloniam Agrippinam. Quare Australissimus eiusdem Parallelus est 17. diesque proinde prolixior præcisè horarum 16. Borealissimus autem 19. diesque proinde prolixior horarum 16½ longa itaque est ab Occidente in Orientem milliaribus Germanicis 29. Italicis autem 116! lata autem à Meridie in Septentrionem Germanicis 20. Italicis autem 80.